

*Epilogus eorum, quæ de Medicine constitutione hactenus ostensa sunt.* Cap. II.

**A** Vando igitur in id sermonis deuenimus, ipsum sistentes, quæ dicta sunt, per capita colligamus, sic enim, & quantum iam rei, quam querimus, inuenit, & quantum adhuc reliqui sit, intelligemus. Propositorum nobis erat artem sanitatis effectricem constituere, non eo tamen pacto, quo ædificaria opifex est domus, sed quo dirutæ eius partis consartrix existit: ac ne hic quidem eorum prorsus modo, sed erat ipsum id, quod queritur, inuenire, quatenus similiter ædificatoris corporis errata corrigere potis sit, qui artem administrat sanitatis assertricem. Quoniam uero ad id genus uniuersa prius corporis naturam exploratam habere est necesse, cuius labes curare ars debet, id ea de causa quesiuimus. at, cum partium esse actiones & constitutiones secundum naturam inuenierimus, quas omni custodia modo, ac, cum affectæ fuerint, reparationis retinere est opus, ex quo compleatur rebus id, quod secundum naturam est indagauimus. Cum autem instrumentarijs partibus substantiam ex simplicium, quæ in ijs sunt, compositione constare, simplicibus uero ex quatuor elementis compererimus, deinceps & de morbis utrarumque contemplabimur, fereq; sermo iam nobis salubrium ualetudinariorumq; corporum notitiam inuenit: neque hanc uniuersam, sed speciem quandam eius duntaxat, ac ueluti exemplum. Porro essentiam omnem salubrium corporum ac ualetudinariorum scientiae habebimus, ubi materijs formas induxerimus, non modo enim partem calido, & frigido, & sicco, & humido mistis conflari unamquaq;, uerum speciatim quoq; perlustrando, quæ ossium temperatio sit, qualis uero & carnium, & nerorum, & uenarum, & aliarum cuiusq; simplicium, medicus norit, oportet, perinde uero, & quæ partis cuiuslibet instrumentariæ compositio, ut manus, cruris, iecoris, thoracis, pulmonis, cordis, cerebri. Eodem pacto absolute genera morborum ac differentias satis non est, sed, & quomodo in partibus ijs singulis fiant, cognoscere. hoc enim facto salubris & morbos corporis scientiam non secundum formam duntaxat, uerum & totam substantiam, quæ ex utraq; simul iuncta consistere ostesa est, forma inquam, & materia ipsam excipiente obtinuerimus. Reliquum uero est, ut explicemus, qua ratione quis tum morbis mederi, tum tueri sanitatem possit: quæ latissime in duobus operibus persequimur, nempe curandi methodo, ac de sanitate tuenda: hic uero, quod subindicandæ eorum sufficiat methodo, commemorandum.

*Quibus preceptis curatrix methodus constitutus.* Cap. 12.

**C** Igitur curandi ratio ac uia à sanorum atq; ægrotanti corporum dispositione auspicatur. Quoniam enim quod per excellentiam sanum est, siue similare sit, siue instrumentarium, commode ratum omnino est, quod autem ægrotat, immoderatum, eius quænam sit immoderatio, inspicienda. esse em contrariam ipsi commoderationem alteram est necesse: in similarium quidem ac simplicium corporum dispositionibus qualitatem: in instrumentalium uero, si ad magnitudinem immoderatio morbi pertineat, contrariam magnitudinem alteram, si ad formationem, contrariam alteram figuram, perinde quoq; si ad posituram, aut numerum referatur. In omnibus itaq; regressio nem ab immoderatione ad cōmoderatum cōtraria immoderatio molietur. nam ueluti viam quādā ire, quod præter naturam se habet, dum ad naturam redit, oportet, eandē quidē, sed contrario itineri. at, si gradū reuocare debeat, per præsentis dispositioni cōtraria remeabit, fueritq; id cōfissimum & generalissimum, quò medela uniuersa spectat morborum, nempe cōtrarium: uti sane uel ab Hippocrate dictum est: Cōtraria contrariorum remedii, particulatim uero, cōtraria particularia, calido morbo frigidum, frigido calidum: eodē modo & sicco humectans, & humido siccās. ita quidē in similaribus, in instrumētarijs uero pro dictori quoq; quatuor generum morbosæ ipsiis immoderationis cōtrariam inducere oportet, usquedū ad cōmoderatum ac natūru uenerimus. ut, si cūpiam ulceri carnis plus, q; natura exigat, superalitū sit nō quod carnē generet, aut restituat, sed, qd demoliat, & detrahat, & peredit, & corruptat, adhibere cōuenit: quemadmodū & cauo ulceri aliqua in parte genito, qd carne impletat, admouere. Eatenuis uero utroq; utendū, ut tum primum desinas, ubi ad cōmoderatum peruererit, priusq; ad contrariū trāscendat. Nā & carne supcrescente deminuenda, nisi in symmetro substiteris, cauā partē repræsentabis: & caua recreāda, nisi steteris, ibiç in symmetro cessaueris, immodice carnosam efficies. Atq; in hoc quidē generē morborū in quo ad maius minusq; diuertūt particulae, p cōtraria, uti dictū est, correccio obeunda. At in alio genere, in quo à naturali excedūt figura, qm plures sunt particulares differentiæ, contrarium in singularijs ijs operæ preciū est, inuenias uerbī causa, si qua gibbosior sit particula, q; aliās redditā, ea, p̄ mēdo, pellendoq; ad cōtrarium abducenda: quæ compressæ intro sunt ac ceu resimilat, foras reuocandæ, ut nasus. Quæ uero ex asperis laues euafere, exasperādæ, quo modo & asperæ oēs laevigādæ. Sic porro & quæ cavitates, uel meatus, uel omnino foramina maiora minorāue, aut iusto inaniora, aut pleniora, aut à crassis, lentisq; humorib; cōferta habuere, hæc quoq; deduci ad contrarium debent, donec peruetum ad cōmoderatum fuerit. Et quidem, quæcūq; etiam à naturali situ euafere, eæ auocatione in contrarium ad pristinam naturam reducendæ, retro nimirum acta ea, quæ prorsum erupit: quæ uero in posteriorem locum discessit, in anteriorem retracta. eodem modo et in oppositionibus alijs duabus, sursum & deorsum, hinc atq; inde. At, si instrumētum uniuersum corrupto naturali partium numero in morbum incidat, utique uel hoc loco intelligendum est, al-

Isagogici,

g 3

terum

terum quanti excessum esse, alterum defectum, ut in demutatione quoq; ante dictum est magnitudinis: medelam autem, perinde atq; in illa, in ademptione atque appositione fieri. cæterum usq; eo differunt, quod integras in hoc genere particulas, in illo particularum portiones auferre atq; adiçere conuenit. Neq; uero in hoc solum genere considerandum est, sed in alijs etiam omnibus, quorum emoliri indicationem facultas nobis est, nam morbi species correctionis duntaxat indicat modum. succurri uero possit necne, haud etiam indicat. In effectuis enim cunctis artibus, non ex rerum faciendarum notione, sed ex efficientis causæ potentia uel impotentia, præterea & materia copia uel inopia id genus sumitur. Earundem igitur rerum alij impotentes existunt, alij potentes: eæq; fieri alio nequeunt tempore, alio queunt. Causa itaq; eorum est, quæ circa corpus boni gratia fiunt, natura & medicus. sed sunt quædam naturæ, quædam medicis negata. os adeo fractum, ut diuaricent eius particulae, peruersumq; membrum sit: corrigere ac conformare naturæ non licet, at medico licet, sic luxati reponendi medico adest facultas, naturæ non adest: contra uero, cauum ulcus carne implere naturæ datum est, medico minime. quemadmodum & semicoctrum & incoctorum quidquam concoquere. Verum in hæc quoque adminiculatur opitulaturq; naturæ medicus, tum purgantis medicaminis impositione ulcus repurando, tum, quæ commode calefaciant, ijs, quæ cōcoqui possunt, inferendo. Sunt item multa, quæ natura ipsa, cum ante ab ea effecta sint, facere denuo nō possit, ut uenam, & arteriam, & colligamentum, & neruum, & quæcunque eius generis alia.

*Qua ratione quædam à natura, quædam à medico restituantur. Cap. 13.*

**P**rimum itaq; est curatricis rationis ac uiæ communem scopum omnium, uti dictum est, reperire, nempe contrarias esse contrariorum medelas: Secundum, substituere in uno quoq; gene re contraria: Tertiū ad hæc, aestimare, quando à nobis aut natura scopo, quem præfert indicatio, suppeditari opera ualeat, quando uero aut omnino, aut pro tempore, aut ex parte non possit. fuit itq; nō minima physicæ pars contemplationis, in qua exercitatus is, oportet, sit qui, quid præstari in re qualibet futura queat aut nequat, comperit. Sunt porro tractatus, qui id doceant, duo: alter qui de Zoogonia, id est animantis generatione, nominatur, in quo, quomodo ex semine & menstruo generationē habeat id, quod in utero geritur, intuemur: et alter de naturalibus facultatibus. Dum enim de seminis natura inspectaueris, hæc tibi prorsus, quæ nobis demonstrata sunt, si inspectionem demonstrativa expenderis methodo, ex eo apparebunt, quod particulae in foetu gignantur plurimæ, formante eas facultate, ipsa seminis substantia materia uice utente. atq; si id repereatis, haud præterea miraberis, si nihil post eiusmodi procreare unquam possit natura. at in libro de G naturalibus facultatibus, factarum administrationem contemplaberis, ut uel inde copia tibi inuentionis suppetat, quarum rerum faciendarum tum ipsa per se, tum medicorum adiuta ministerio, compos natura aut impos existat. Nam loco illo, in quo de opificum potestate causarum, & earum, quæ efficiuntur, substantia contemplamur, quæ factu idonea sint, quæ nō sint, comperies uniuersa. uerbi causa, si chartilago deperierit, num gigni alia de integro, aut simile pro ea quippam possit. sic porro & an facere os aliud, uel ei quid simile liceat, si id à partu interierit: & utrum neruosa septi transuersi substantia coalescere, aut cor, aut iecur, aut alia deniq; pars quævis ualeat. At mihi tempus hoc loco non suppetit uniuersa explicandi. Non em in hunc unum librum medicina potest tota conferri, neq; hoc sermo ab initio cotendebat, sed methodos dicere, atq; de artis constitutione indicare, ex quibus & quot principijs, ac quibus conficiatur ujjs. Hic ergo præsentem sedatum sermonem, atq; in unum caput redactum constitutæ iam antea parti artis adiçiam. ut enim illuc salubrium ualetudiniorumq; corporū specie reperta, in particularibus ipsam materijs omnibus spectare operæ premium esse ducebamus, ita nunc quoq; inuentis à methodo curandi intentionibus deferri eas in particulares materias postulabimus, quo notum sit, quæ fieri in ea possint uel ex parte, uel tempore aliquo, quæ omnino non possint. Cæterū & hic proportionē ad alias H artes inspectare est. Ut enim, si quis fabricatam ex coctis lateribus domum, deinde aliqua in parte dirutā reparare iussiterit, eximendo, quotquot perpeſsi lateres sunt, in illorum uero locum alios, qui uitio careant, inferendo, necesse erit cōditori, prius alios paret similes perpeſsis, & ad hoc præterea, nisi præbere ædium dominus aptam materiam habeat, reparationem obiri non posse dicendum est, ita se res habet & in proposito nunc speculamine. nam materia egestate nihil facere eorum est potis natura, quæ formando animali confecit ex semine.

*De auxiliorum materia diligenda. Cap. 14.*

**V**erum, quoniam satis & de his uerba faciemus, addamus, quæ desunt sermoni, de quibus paulo ante, cum auxilia inuenierimus, loquebamur. nam uelut generales ipsorum species percurrimus, nempe alia refrigerare, alia calefacere, quædam humectare, nonnulla siccare oportere. hi enim sunt in partibus similaribus scopi: quemadmodum in his, quæ ad magnitudinem spestant, uel detrahere, uel denuo alere. Sic & in ijs, quæ ad numerum, uel totam partem exire, uel gignere. In ijs uero, quæ formationis sunt, ad naturales figuræ reducere, & replera euacuare, & uacuata replere, & obstruktiones exobstruere, & oscularum reserationes cogere, & clusa ac densata ad contrarium conuertere, illa recludendo, hæc rarefaciendo. Sic uero & in

**A** & in compositionis morbo scopus est ad naturalem statum reuocare. In soluta quoque unione glutinationem discretarum partium moliri. Sed in his uniuersis adiumentorum comperire materias, pars haud exigua est artis: ut in luxatis, exempli causa, articulis, quoniam non solum in partem priorem posterioremque contingit, & dextram ac sinistram emotum membrum transire, sed & ad supernum locum à muscularum contentione retrahi, usus duplex in serentibus motionis exigitur, primæ deorsum: secundæ, in suum locum repositionis. eamque ob tem sine contraria tensione fieri iniectione nequit. Porro apprehensionibus tensionibusque ad tensionem in diuersum ualentioribus opus esse perspicuum omnibus est. Verum, cum facere ea nostris quandoque manibus nequeamus, instrumenta ad hoc reperimus idonea. Faciunt uero ex ijs plura & ad luxata reponenda. suntque instrumenta hæc omnia materiæ quædam remediorum: quemadmodum & quæ accommodantur omnia, medicamenta, cibaria, potiones, ac demum quæcunque corpori admota dictas dispositiones ad naturæ statum reducunt. Conuenit igitur medicum & de horum materia negotium suscepisse, scopos, quos ante exposuimus, cum materialium usu conferent, ne simili quopiam aliquando sit cum ijs detentus errore, qui, quæcunque refrigerari postulant, omnibus ijs frigidam aquam: quæ calefieri, calidam competere arbitrantur, haud intelligentibus per accidens quandoque & frigidam calefacere, & calidam refrigerare. Plurima de horum omnium methodo dicuntur in commentario de medicaminibus. Cæterum hoc in præsentis sermone addamus, auxiliorum materiæ genus eiusmodi uniuersum, in ijs, quæ per os sumuntur, que fiunt, quæ uacuatur, quæ deforis incident, positum esse: per quæ omnia ubi decurrerit, qui artem constituit, ac particularis materiæ uniuersæ scientiam nō solum facultatis, sed usus etiam obtinet, sic utique salubres causas compleuerit uniuersas, ut nihil ad curatricis artis constitutionem desideret, omnib. nimis ijs in duo sese capita redigentibus, in corporum, quibus remedia adhibentur, notitia m, & ipsam remediorum naturam.

*De arte constituenda, que dispositiones preter naturam dignoscit, doloris lateris exemplo. Cap. 15.*

**R** Elikuum uero est ei res artis administraturo, speculationem quandam inueniat, qua dispositiones dignoscat uniuersas: easque præsertim, que circa partes intimas consistunt: neque enim hic cuiusvis est morbosam singularum, tum simplicium, tum instrumentalium partium dispositionem reperi, cum in profundo conditæ fuerint: sed hic quoque ratione quadam ac uia partem affectam unâ cum dispositione ipsam obsidente inuenire tentandum est: de qua & nos latius alibi differuimus. Sed, quemadmodum aliarum hoc in libro methodorum omnium percurrimus capita, ita de his quoque necessarium est dicere. ac primum sane, quo nam rerum earum, quæ præter naturam sunt, genere comparari dignoscendarum ipsarum iudicium posse sperandum sit: sunt enim rerum præter naturam genera tria uniuersa, unum dispositiones, quæ functiones laddunt: alterum harum causæ: & tertium symptomata. Causæ igitur, potissimum quidem cum agunt, hac appellatione dignantur: sæpen numero tamen, et si nondum quidquam agat, ex eo solum, quod possint, dicuntur: ueluti & incoctione morborū auctor perhibetur, quamuis morbum nondum afferat. Incoctionem autem uoco, non coctionis tantum in uentriculo frustrationem, sed in uasis quoque, & iecore, & mole uniuersa. Symptomatum porro genus in tres differentias dirimitur, offendam actionum, accidentia corporibus, excernendorum immoderationes. Horum omnium causa est dispositio corporis, quam siue morbum quis nominet, siue affectum, nil referet. ex symptomatis autem iure agnoscitur, quippe cum causæ ad ea rationem habeat. Itaque eorum nonnulla dispositiones ex necessitate consequuntur: quædam nō ex necessitate, sed uel sæpiissime, uel raro, uel anticipiti opinione: sicuti rursus alia symptomata necessario dispositionis differentiam sequuntur, alia magna ex parte, aliqua sic, ut opinari utrumlibet possis, alia uero parcius. Quæ ergo ex necessitate sequuntur morbum symptomata, pathognomonica, id est passionis significativa, appellantur. atque certa esse hæc morborum indicia ducendum est: quæ uero non necessario, ea morbi aut differentiam, aut morem, aut magnitudinem indicant. Ostendam uno in exemplo dictorum cuiuslibet potestatem, ut inde promouearis, tecque ipsum eadem methodo exercere similiter in omnibus possis. Suppositum sit phlegmone membranam, quæ costas succingit, laborare. Est hic nimis affectus phlegmone: quæ quidem ex necessitate habet symptomata, tumorem præter naturam, ruborem, dolorem: quorum duo nunc sub sensum non cadunt, dolor autem solus relinquitur, qui ad costas firmatur pungensque fit. Dolet igitur homo, quoniam affectus phlegmone est: species autem doloris, pungens, quod membranosa sit & partis affectæ substantia: firmatur ad costam, quoniam in hac situs est percessus locus: & quidem latissime quoque diffunditur, quoniam & succingens ipsa membrana ad plurimum spacijs extenta est: comitatur febris necessario tum ob affectum, tum ob situm offendæ particulae: quorum si absit alterum, non ex necessitate consequet se febris. neque enim, si phlegmone digitus doleat, omnino febricitant, quoniam à corde lōge abest, nec cum succingentem membranam occupauerit affectus, is autem uel scirrus uel œdema fuerit. Quin & egra spiratio inter ea cœsebitur, quæ affectum locum necessario secuta sunt, quoniam respiratorijs pars cuiusdam est instrumenti; & grę tamen spirationis non ob partem species erit, sed

## GALENI DE MEDICÆ ARTIS

80

ob affectum: prohibet enim dolor, quo minus respirationis instrumenta plurimum attollantur. Itaque respirationis actionem dissoluere anticipat usus nondum completo: unde ad secundam actionem pergere cito coguntur, non tantum quietis adhuc, quantum, cum in naturali statu erant, nanciscentia. itaque sit spiritus parvus ac creber. Sed pulsuum quoque alteratio succingentis membranæ phlegmone necessario affectatur, tum quæ à febribus inseparabilis est, tum quæ pro loci affecti specie consistit: pulsant enim ipsis arteriæ maius, celerius, crebriusque, quoniam febricitat: quia uero neruosa est pars, quæ phlegmone laborat, una cum tensione ac duritia. Hec itaque ex necessitate succingentis membranæ phlegmone sequuntur symptomata: ex necessitate autem & quodpiam unum ex consequentibus, nempe decubitum aut minus in affectum latus, aut in oppositum, aut in utruncque similiter dolorem excitare. nam, cum duplex membrana ea sit, si pars eius exterior circa ossa phlegmone infestatur ualentius, faciliter in oppositum declinantur: opprimuntur enim, si super affecta cubet parte, quod si pars altera, quæ intus est, id quod magna ex parte accidere consuevit, in oppositum magis decumbentes dolent: suspensa enim ipsis pars est phlegmone uitiata. sin in latus perpessum, minus: non enim ad ossa comprimitur, nec pendet, sed ab horum utroque libera evasit, ac super inoffensa parte altera firmata est, at affectis ambabus succingentis partibus, super latere similiter utroque decumbunt. Et quidem, ut dolor quoque alij ad hypochondrium pertineat, nonnullis ad claviculam, facit tum laesæ natura particulæ, tum phlegmone symptomata, quod est doloris extensio. Quoniam enim ad claviculas usque succingens peruenit, ac per septum transuersum omne, si partes eius supernæ phlegmone conflictentur, trahi deorsum clavicularia uidetur: si infernæ, dolor in hypochondrium erumpit. Phlegmone igitur ad medium costarum paruam admodum fieri opus est, ut neutram ad partem efferatur: quandoquidem magna ad utraque peruenit. Quinetiam, ut ex parte phlegmone obessa tenuis quædam sanies resudet atque emanet, fiet tum morbi nomine, tum particulæ: quemadmodum & omnibus ijs usu uenit, qui phlegmone in ore atque oculis contraxere. nam & phlegmone ex humorum influentia oritur, & pars rara est: nō, quemadmodum cutis, constipata ac densa. Cum igitur in parte, quæ phlegmone patitur, multa simul ac tenuis fuerit humiditas, & ipsa pars rara, plurimum foras effluit: cum uero contra, fluxus paucus crassusque, & spissum corpus fuerit, minimum ad tuessimum irritat, & nihil spuunt: ueluti & cum prouenit copiosissimus, tuissimum plurimum, nec pauca expuunt. Ac seiungi quidem tuassis ab affectu non potest: scrotatio autem post tuessimum inseparabilis quidem minime est, sed magna ex parte fit. At uero, si excreent, colorabitur sputum necessario: eodem tamen non semper colore inficietur: siquidem nec in parte, quæ phlegmone existuat eiusdem semper naturæ est excrementum. Fluxus ergo, qui phlegmone efficit, cum sanguinolentus biliosusque fuerit, (talis autem in pleuritibus ex toto est) coloratur ab humore sputum, qui in parte inflammata continetur. rubrum quidem fit, ubi cruentum id fuerit, quod in succingentem fluxit: flauum autem, cum biliosum. Si uero pituitosus primum humor incuneatus putrefactusque auctor fluxus eius existat, qui phlegmone commilit, tunc spumosa expuunt, quandoque uero spuunt & nigra, assato nimis fluxu, siue sanguineus, siue biliosus is fuerit. Fluxus ergo differentiam id genus omnia cum partis perpessæ atque affectus dignotione indicabunt.

*De reliquis capitibus, quibus morbos & affectas partes dignoscimus.*

Cap. 16.

**Q**uocirca ad morborum atque agrotatiū locorum inuentionem plāne ex ijs, quæ diximus, liquet tum affecta cuiuscunque particulæ substantiam, tum societatem cum proximis necessario sciendam. Quod autem nihil intersit, positum, an compositionem, an cum proximis societatem dicas, uel me tacente satis arbitror constare. Porro illud quoque ex dictis aperte dilucet, necessariam scitu partium singularium actionem utilitatemque esse: & ad hæc præterea generationes morborum atque symptomatum. at si hoc, causas quoque, quæ morbos pariunt: haec enim & ad affectam partem quamlibet unā cum dispositionibus dignoscendam, & ad morbi ipsius differentias **H** necessaria uidentur. Et uero morbi cuiuscunque magnitudo ac mos ex ijsdem his desumuntur: magnitudo ex ipsorum dispositionis magnitudine, & sequentibus ipsam symptomatibus: mos autem ex morbi differentia, & symptomatibus, quæ ipsam consequuntur. Principio igitur in exemplo perniciosissimus est melancholicus humor præpollens, tum quod & præditus ipse sit moribus pessimis, & maxime erodat, concoquatürque ægre, nec facile expurgetur: tum quod plurimæ sit caliditatis index, à qua assatus genitus est. æquissimus omnium sanguineus, ut qui dulcissimus existat, & concoctu facillimus. reliqui duo humores, inter hos medi sunt, quod ad simplicitatem malignitatemque attinet. Ex symptomatis uero, nihil expuere exitiale est, partim, quod fluxum declareret à phlegmone deuinctum: partim, quod totus propterea, quoniā intus maleat, corrumpetur. expuere autem sine dolore ac facile, mitissimum est. at si, & quod expuitur, concoctum fuerit, adhuc & longe mitissimum. Sed morem quoque manifestant morbi, symptomata pulsuum. Iam uero & quæcunque alia per consensum superueniunt, desipientiae, comata, cibi fastidia, urinæ, dejectiones, quæ huius aut huius modi fiunt. Nobis itaque est in prædictis universis meditandum, si morbum, partem affectam, morem, magnitudinem, eorumque differentiam dignoscendi facultatem assequi uelimus. ex ijsdem uero his, & quoniam terminaturus morbus sit, præcognoscere,

**A**cognoscere, & usus dexter suppetet nobis adiumentorum. nam præsensio medicum mortis cul-pauacare ostendit, obtemperantesq; ægrotos reddit, atq; antea multo remediorum tempus edo-cet. opportunum. Quòd uero auxiliorum dexter usus pars ipsa artis præcipua existat, cuius gra-tia sermo institutus est uniuersus, omnibus liquet. cæterum, quomodo ex antedictis constet, pau-lo post explicabitur. nunc enim prius ijs, quæ percensebam, finem imponere uolo. nam morbo-rum simul cum particulis ijs, quæ eos cōtraxere, in uno iam mihi exemplo exposita dignatio est. Nihil autem ab re fuerit aliud simile quodpiam addidisse: docet enim plura species eorum, quæ excernuntur: ei uero coniunctum est corpus, ex quo fieri excretionem cernimus, adeo, ut ex am-bobus coeuntibus firma ac constans indicatio una fiat. Nam membranoso, si ita forte contingat, corpore excreto indicatio ex eo ipso, quod apparuit, partē aliquam eiusmodi, ut membranosa superficie habeat naturam, ulcere esse affectam demonstrat, definitam uero ipsam ac certam no-tificare non potest: deducit tamen ad partem ipsam affectam excretionis locus. nam, quod infer-ne deiectum est, intestini ulcerationem declarat: quod superne euomitum, uētriculi extussum, sublinentium asperas arterias membranarum: mictum, uel uesicæ uel genitaliū meatus. Hæc igitur ipsa, & ad hæc insuper ea, que per consensum, primariumq; affectum laborant corpora, discer-

**B**nere à se mutuo conuenit antecessione & consecutione, & magnitudine & paruitate, & præte-re male utruncq; habentium accessione causarum. Itaq; complures uel acto in consensum cere-bro, ex stomachicis dispositionibus in melancholica, uel simul affectis oculis, in suffusorum sym-ptomata incidere. Verum in talibus, si quis diligenter animum attendat, ex incoctionibus dictos comperiet sequi affectus, ac collectis in uentriculi ore excrementis, simulq; cum uentriculi os læ-dentibus concitari, uel iuantibus conquiescere. Sed rationem nunc de partibus affectis uniuersam instituti nostri non est, quemadmodum nec aliud quidquam in arte perfectum integrumq;, explicare, uerum ipsius duntaxat inuentionis methodum, & quo pacto fini artis cohæreat, indi-casse. neceſſeq; est ipsum per se quæc in notionibus omnibus, quæ de ipsis à nobis cōscriptæ sunt, uarie exerceri tractatibus perlegendis. Igitur addito eo, quod in rem præsentem necessarium est, ad methodos, quas diximus, descendemus: atq; hic rei formam esse arbitrare: postea uero, quam materijs eam induxero, totam substantiā. ubi particularia uniuersa explicauero, uti in paucis nūc feci exemplis: eritq; tibi hæc artis integre pars constituta.

De eligendis remedijis ipsorumq; usu, ex substantia, formatione, & situ partium laborantium. Cap. 17.

**C**R eliquum uero est, ut ad usum dextrum adiumentorum necessarium esse ostendamus scire exacte partis curandæ substantiam, formationemq; ac situm. Docet ergo substantia primos morbos, qui per intemperiem fiunt, quatenus à naturali habitu excesserint, quatenusque eorum quemlibet calefaciendum, refrigerandum, siccandum, humectandumq; sit. Formatio autem tum ipsos per se edocet morbos, de quibus dictum antea est, tum simul eorum magnitudinem indi-cat. quoad enim quisq; à naturali statu deflexit, eo magnitudinis peruenit. simul uero cū magni-tudine & quoniam usq; ad naturæ moderationem per contraria reuocare eos oporteat, ex ipsa per-cipitur. Hæc igitur proportione respondent ijs, quæ ad intemperiem pertinent. Obstructiones autem et inculcationes huius sunt generis, eximium uero proprium, uacuationis modum indicat ex osculis, ac per eas figuræ, quas instrumentum, quod curatur, adeptum est. at hoc rursus com-mune est cum ijs, quæ a situ indicantur: de quibus iam agamus. Quæcunq; ergo in ipsis sunt tum ad magnitudinem dignoscendam, tum ad remediorum usus quantitatatem proportione commu-nia nihil præterea opus est, referamus: quæ autem peculiaria sunt, deinceps dicenda. Cæterum, quoniam & usus ad curationes maximus ipsorum est mistorum indicationibus, quæ à forma-tione dicuntur, hic sermo quoque methodi gratia cognoscendæ in paucis erit exemplis. Obstru-

**D**uctio unus quidam est instrumentalium affectuum. nascitur potissimum in iecinore, ob eius con-stitutionem actionemq;. nam uenæ, quæ à portis in sima uisceris uniuersa finduntur, oscillis, quæ in gibbo sunt, cōmittuntur sensui immanifestis, alimentū uero omne sursum ex uētriculo ad locū unum effertur iecoris, quem ab hoc ipso, quod nunc dictum est, portas nominant. neq; enim ur-bes introire quis potest ante, quam portas peruerterit, neque prius penetrare in iecur alimentum, quam ad id loci peruerterit. inde autem in sima uniuersa distribuitur iecoris: postea, per quos dixi mus fines, in gibbum transumitur. Nihil igitur mirum crebris obstructionibus, tum ob uasorum angustiam, tum ob permeantis copiam substantiæ corripí uiscus. Quamobrem erit ipsi medela, prius, quam fiat obductio multiplex, & homo febricitet, ingestio tenuantium ciborum ac medi-caminum: q; si fuerint multæ, non ipsa solum, sed etiā euacuatio est: quā per quæ loca facere oporteat, formatio uisceris situsq; indicabit. Ex his igitur auspicantes, dirigemus, quæ in simis iecoris sunt excrementa, ad intestinum: quæ in gibbis, per urinas euacuabimus. sic & quecunq; in tho-race & pulmone continentur uacuationis gentia, per tuffes ab ipsa edocti sumus formatione ac positione expurgare. eodem modo & cerebrum obsidentia in nares trahere. Maxime uero & partium sanatio, quæ phlegmone laborant, ex positu ac formatione desumitur. Nam & horum quidem scopus primus est, euacuatio humoris, qui in partem phlegmone conflictatam ruit.

Quoniam

## GAL. DE MEDICÆ ARTIS

82

Quoniam autem pacto ipsum educere conueniat, indicat continentium instrumentalium partium natura. His ergo docentibus, qui in coxendicem fluxus decubuere, per poplitum ac malleorum euacuabimus uenas: uti sane & quæ in uteris hærescant: quæ in thorace ac pulmone habentur, per uenam cubiti internam: quæ in capite & collo, ex humeraria. proximarum enim communiumque affectæ particulæ uenarum euacuatio optima est, atque facillima. Porro & particulam plegmone affectam per halitum digerere, habet quidem & id certe indicationem ex morbo, cæterum euariat in remediorum particulari usu, atq; à situ percessæ particulæ indicationem assumit. nam, quæ per summa corporis extant particulæ, in ijs discussurum tale esse medicamentum conuenit, quale species phlegmones indicat: quæ latent in profundo, tanto acriora requirunt medicamina, quantum ab exterioribus recesserunt. proinde cucurbitula in ipsis quandoq; egemus, si alte desitæ admodum sint: id quod superficialibus phlegmonis est pugnantissimum. Ita uero & sicubi adstringente opus fuerit medicamine, situs egentis loci spectandus, nam, si, quod adstringit, pertingere ad ipsum sufficiat, nihil prohibet, quo minus eo utaris: sin idoneum non sit, considerandum, num humiditatē simus ex antepositis partibus acturi in affectam. quamobrem aut adstringenti medicamento admiscenda uis est, quæ dux ueluti uia sit, aut eo non uendum. Maxime igitur lædere eos noui, qui sanguinem ex pulmone extussientibus adstringentia per totum thoracem medicamenta in orbem circumponunt. nam præter id, quod eorum facultas in pulmonem non penetrat, sanguinē etiam, qui in thorace est, ad uiscus compellunt. Que de his dicta sunt, in rem præsentem sufficere arbitror. Tantum igitur de ijs insuper locutus digrediar, nempe hanc methodum tractationis esse duntaxat formam, scientiā autem enarrationemq; per partes corporis singulas, ipsam uelut uniuersam substantiam: quam in alijs commentationibus late explicuimus.

De prænoscendi, ac diuinandi arte. Cap. 18.

**D**einceps itaque de diuinatione dicamus: quandoquidem nobis utilis cum ad alia quædam, tum uel maxime ad curationem uisa est. Primum igitur diuinatricem constituere artem uolenti considerare ante est necesse, utrum, quemadmodum tempus uitæ cuiusque natura animalis proprium obtinet, ita & quilibet morbus, adeo ut quatuor dierum spacio solui nequeat is, cui duorum mensium terminum natura præscripsit, an contra omnis morbus & longo tempore affligere, & solui celerrime possit. Nunc sane, cum medici iam plures futurorum sint præfigendorum facultatem adepti, non amplius querunt idiotæ, utrum præfensio futuri euentus aliqua constare queat, an nequeat: sed deinceps omnes ueluti de re possibili habet: rogantq; medicum, quodnam præfiniatur tempus morbo soluendo. Nihilo uero deterius ad præfens negocium fuerit nunc primum subiecisse nos, prænoscendi artem constitui. nam, & alia omnia in sermone ita transegimus. Vnum itaq; ac primum necesse est, si aliqua sit præcognitio, nonnulla esse in futuro tempore dubio procul euentura. deinde, quoniam possint modo inueniri, ac quot, & quæ ea sint, spectandum, non em quæcunq; sunt circa ægrotantē oritura, necessariam generationem obtinēt. Tumultus ergo ex uiciniis per noctem, & canes latrantes, & iniucundi quidam nuncij insomnes ægrotos reddit: quorum nullum neq; generationem habet necessariam, neque firmam diuinationem. Num igitur, quæcunq; morbi ratione efficiuntur, definitam generationem certamq; præcognitionem habet? An neq; hæc uniuersa: potest enim superflus intra corpus humor aliquis in particulam necessariam uitæ quampiam repente influere: quemadmodum aliud rursum ex parte principe in uiliorem transfire. enim uero eum, qui in præcipuum illatus est, sumnum periculum: qui in non primariam partem transmigravit, subita atque inexpectata salus laborantis nefario consequetur. Huiusmodi igitur statuum ipsum hoc tantum prægnoscas, licet, nempe inconstantiam lubricitatemq;: nō tamen, quò terminatus morbus sit, exacte comperias. At, in quibus non amplius difluunt excrements, sed in locum unum quendam grassata illum occuparunt, præfigiri futurum in ijs potest, intelligentibus nobis non paucas, quibus animal regitur, facultates esse naturæ, ac qualis earum sit differentia. Et quidem sane etiam, quæcunq; per totum animal in sanguine excrements sine immodica deferuntur multitudine, ea quoque singula statum tempus coctionis proprium obtinebunt: si modo excrementi cuiuslibet naturam inuenierimus. ita nanq; & de eius concoctione artificiose conjectare non nihil licebit, si recte omnia uidelicet circa ægrotum gerantur. nam, quæ perperam à quoq; aguntur, eæ causæ existunt, ut aut morbi solutio prorogetur, aut mors anteuerat. idq; per totum sermonem opus est, si & aliud quidpiam, meminisse. sola enim optimi medici præfigia recte curante quidem ipso euenient, ægrotu autem nil deliquente. Cæterum medicis putare id genus, quale uates pollicentur, constare diuinationem, ridiculum est. illi enim nono, si ita forte contingat, die seruatum iri aiunt hominem, non etiam, si cuncta recte administrentur, addentes. huius etenim ipsius præcognitionem, nēpe quod omnia prospere uel infoeliciter cessura sint circa ægrotos, profitentur. at medicus nō ita prædictit futurum: uerum septimo, uerbi gratia, die, si omnia, ut oportet, agantur, solutum iri morbum: ubi uero quicq; admissum est, si paruuus quidem error hic sit, relabi solutionem ex septimo in nonum posse; si maior, in undecimum; si multo maior, in quartumdecimum; si perquā magnus, periculum pro certa

**A** pro certa salute securum. Attentus enim semper duobus his medicus est, uelut obfuscatoribus, nempe morbo, & naturæ ac primum quidem euadendum uel pereundum homini esse, ex robustiore dignoscendo diuinationem facit: deinde uero & prefiniti temporis ex eo, q, quāto alter us lentior sit, intelligat. Nec est, quod mireris, si utriusq; robur contemplatus, uictorem compereris futurum. uidemus enim non paucos gymnasticos ex primis motionibus, quibus inter se luctatores agitantur, qui uictoriā adepturus sit, antefari: sēpe etiam ante uictoriā, succubiturum breui aduersarium, illiq; mancipium futurum. id porrō agunt, cum alterum altero magno quodam discrimine robustiorem cernunt. Itaq; sanitatem ac mortem non ex alijs meditationibus praesentet medicus, quā ex morbi, ac naturæ robore exacte agnoscendo. Ex ihsdem uero & terminum utriusq; inueniet. in propinquō enim morbi solutio erit, cum bene ualuerit facultas: sin fuerit imbecilla, morbus autem ualidior, mors maturabit. præscriptionis uero tempus indicat magnitudo excessus. Ab ijs quidem scopis medicus prædiuinandi facultatem consequitur. cæterum, ex qualium rerum perspectione scopos dignoscere ei suppetat, latius in libris de iudicationibus dictum est. dicetur uero & nunc, ut aliorum omnium, ita huius quoq; uniuersalis ratio ac uia. Ergo robur naturæ, ex proprijs, præsertimq; ex pulsuum actionibus agnosces: qnandoquidem uitalis opus ijs sunt facultatis. Morbi magnitudinem, ex suis accidentibus. Quātum uero alter alterum superet, coctionibus, incoctionibusq;. Has ipsas, ex proprijs excrementis, quæ quidem in alio sunt, per inferne sublabentia, quæ in uasis, per urinas, per sudores uero, quæ toto corpore continentur, sive & alias omnes, quæcunq; in parte quapiam una plurib;use consistunt: quæ in thorace quidem ac pulmone, per ea, quæ extussiuntur: quæ in uesica uel renibus, per ea, quæ in urinis deferuntur. ie- coris autem sima, & mesenterium quomodo prædita uiribus sint, ex ijs quæ per ima descendunt, noueris. & per ea, quæ uomuntur, superior uenter ac stomachus. quæ per palatum uel per nares & aures excernuntur, quomodo affectum robore cerebrum sit, declarabunt. Enī uero commūne in omnibus est non prius dissolui morbum posse, quām aliquod in decedentibus excrementis coctionis indicium apparuerit. ita, siue aures, siue oculi, siue fauces male habeant: uel (ut semel dicam) coctiones omnes celeritatem iudicationis, securitatem salubrem significant: cruda autē & incocta, & quæ in malos conuertuntur abscessus, infectas iudicationes, uel labores, uel tempora, uel eorundem recidiuas portendunt. Hæc de diuinatione in præsens sufficiunt. est enim sermo de ijs omnis suis particulatim tractatibus habitus, ijsq; maximis, ac præcepta ferè uniuersa complexis, qui de pulsibus, de diebus iudicilibus, de iudicationibus inscribuntur. nam, ex quibus, quis maxime presentiat, per hos tres palam factum est. Finem obtinere arbitror uniuersam curā rationem ac uiam.

De arte præcauendi morbos & ualeudinē tuenda. Cap. 19.

**Q** Voniam uero & morbis liberatos ad salubrem ualeudinē perduci, &, qui in morbos declinant rapiunturq; eos præcauere, & præterea sanitate integra fruentes, in hoc conseruare conuenit, artisq; partes hæc tres reliquæ sunt, tentandum, quoad licet, breuissime & de harum constitutione non nihil dicere. Cum ergo proditum quoque antea sit genera præter naturam tria esse rerum uniuersa, causas, dispositiones, atque symptomata, erit pars artis præcauens, quam sanè & proprie Græci prophylacticen uocant, in primo genere consistens. Cum enim uel multitudo aliqua humorum, uel uitiositas, uel obstructio, uel corruptrix uis in corpore prouenit, periculum est, quantum nondum ægrotarit, morbo corripi hominem: quandoque uero in summum discriminis adduci. Nec facile porrō causæ cognosci huiusmodi possunt, ut quæ hominem non infestent, quemadmodum uidelicet & canis uirus rabientis: cuius signum in corpore non continetur ullum ante, quām prope ad rabiem, qui commorsus est uenerit. Proinde & huiusmodi gratia causarum, laborantes ipsos de singulis, quæ ipsis contigere, interroget, necesse est medicus. cum tamen copia humorum, aut prauitas succrescit in corporis mole, aut uiscus quodpiam obstruitur, ea per quædam symptomata, licet, agnoscas, media eorum quodammodo, quæ in sanis sunt, & quæ contingunt laborantibus. Nam, quæ in sanis existunt, secundum naturam cuncta, atque inculpabilia sunt, quæ ægrotantibus accidunt, præter naturam, nec crimine uacant: at, quæ his interiacent media, sunt quidem ex eorum genere, quæ morbis eveniunt, ceterum exigua adeo magnitudinibus, ac uiribus imbecilla, ut ab ipsis nondum solitæ cuique actiones prohibeantur. Siue enim sit capit̄ dolor, aut partis cuiusq; alterius, paruuus adeo est, ut nō dum lecto continere se hominem cogat: sed et, siue grauitas uel in hypocondrio, uel capite, uel alia parte aliqua, aut uiscere, neque hæc à consuetis negocijs auocare idonea est. magis uero etiā corporis tumor, aut macies, aut pallor, pigritiaq; ad motus, uel somnolenta dispositio, uel insomnia, à functionibus uite administrandis abducere haud sufficiunt: ac multo sanè magis appetitus deiectus uel intentus ciborum, ambo nanque non exacte sano proueniunt corpore, quemadmodum & seipso præter rationem sitis expertes uel siticulosos, uel stomachi aut uentriculi morsu conflictatos, uel iassitudinarios sentire. Talis formula est eorum, quæ in morbum delabentibus contingunt, Correctio autem efficientium ea dispositionum, summatim perstringenti, per contraria, ut supra ostensum

## GAL. DE MEDICÆ ARTIS

84

ostensum est, obitur: particulatim vero persequenti. superfluum uniuersum euacuare conuenit, E distinctione, quomodo superfluum sit, utrum ut quantum, an ut quale, an ut utrumque, adhibita: quod autem redire in naturalem statum ualet, alterare per contraria, crassum lentumq; tenuando, tenuere crassando, utræq; communiter concoquendo, obstructiones autem abstergendo: quæ vero præter naturam toto sunt genere, ut uenena, ac spicula defigentium animalium uirus, alterando, uacuando q;. Alterationes quidem per ea moliemur, quæ uel tota substantia, uel qualitate una, duab; sue contraria sunt. euacuabimus autem trahentibus facultatibus. Cæterum, quibus hec quisp;am facere possit auxilijs, ex dispositionibus ipsis sumendum. nam, si omnes perinde au- Cti humores fuerint, potissima ac maxima per uenæ sectionem uacuatio est, dein per frictions, exercitationes, balneas, atque inediā. ita quoq; uacuandum, si sanguis solus copia exuperauerit: sin flauæ aut atræ bilis humor, aquosumue aliquid humoris serum, uacuatione quidem, sed non similiter agendum. Nam quæ in primis uenis sunt excrements, dejectorijs: quæ in alijs, per urinas quidem aquosa ac tenuia: per purgationem autem, biliosa expurganda. tenuia quoq; de- iectionijs euacues, licet. quæ autem in toto habitu tenuia sunt, per sudores, eaq; medicamenta, quæcunq; cuti admota siccandi natuam vim habent. Biliosa, purgatione primum, deinde cutis euacuatione. Sin pituitæ humor redundet, falsam purgare: acidam redditam alterare, opem na- F turæ ad eius concoctionem ferentes, tentandum est. dulcis autem multo etiam facilius conco- quitur. Perducunt ad concoctionem, quies & calefactio moderata, boniç succi modicorum esus ciborum, & modice calefacentis uini potus. Caliditatem modicam efficere possunt fri- ctio mediocris, & commodi aquarum calidarum usus, cibariaç & medicamenta, quæ haud ma- gnopere calfiant. Obstructiones detergent cibaria, & potionis, & medicamenta, quæ tenua- re sunt natura idonea. Horum autem materias quomodo inuenire ac iudicare conueniat, uno ex posuimus opere, quod de simplicium facultate medicamentorum inscripsimus. dictum est & in libro de uictus ratione attenuante.

De arte, quæ reficit conualescentes ex morbis. Cap. 20.

**I**Taque tempus iam est, ut sermone ad eos, qui ex morbis conualescent, transeamus: in quibus nec causa præter naturam ulla, nec dispositio, sed sola cum infirmis viribus gracilitas inest. Quamobrem sic quoq; affectorū deductio ad naturæ statum, educatio est, ac corroboratio, quæ ex commodis motionibus, atque alimentis exultat. Materias porrò uel hic, per quas motus ac nu- tritiones erunt, per salubrem tractatum aperui. Verum, ne præsentí quicquam sermoni desit, nūc methodus quoque salubris dicetur commentationis uniuersæ, nedum eius, quæ analeptice, hoc est refectrix, appellatur, ac primum quodnam genus eius sit, num id, quod præsentem statum tue- tur, an hoc solo à curatorio differat, quod correctionem in paruis moliatur. haud enim sanè prio- rem seruanti habitum corpori, præside arte opus fuit: sed ipsum hoc causa est, ut scientiam, quæ prouideat, requirat: nempe quod labefactetur, nec, quale ante erat, permaneat. Si igitur solum hoc ipsum, quod est uacuari disflariç, contingit, cibus & potus, quod deest, supplebunt. sin autem uel copia subest humorum, uel prava excrements, exercitationum ipsarum usus exigetur, quæ eò spectent, ut euacuent, purgentq; humorem, & concoquant excrements. præterea & causas ui- tent uniuersas, quæ ipsam corrumpere sanitatem poterunt: algorem, æstum, lassitudinem, inco- ctionem, ebrietatem, insomnia, tristitias, iras, animos, & alia quæcumque id genus. haud enim sermone etiamnum singillatim euagari oportet, iam completa, quam proposuimus, hypothesi. Institutum enim est non fusa explicacione de partibus medicinæ omnibus dissertare, uerum, quo pacto à finis notione, ut aliarum quævis artium, sic & huius constitutio fiat, ostendere.

Medicina quo nam in genere sit artium effectuarum. Cap. 21.

**E**T uero, quoniam id executi iam sumus, medicinæ sermonem per capita uniuersum repeta- H mus, continuo, & quam ad alias quascunq; effectuas proportionem habeat, ostendentes. Est ergo medicina una effectuarum, non simpliciter tamen, perinde atque ædificaria, lignaria fabrica, arsc; textoria, sed ut reparatrix collapsæ domus, ac lacerarū uestium sartrix. Verum, quo- niam & harum ipsarum duplex ostensa est constitutio, ipso per se interim artifice exemplum ge- nerante, quandoque extrinsecus existens contuente, ex secundo genere medicam artem demon- strauimus. non enim suum ipsa exemplum format: totum uero ipsum per dissectionem diligen- ter contemplata, quod labefactatur emendare nititur. Cæterum à prædictis artibus eo distat, quod maxima ex parte naturæ operanti subministret: speculationem tamen omnem, ex qua pro- grediens medicus corrector ministerç est, effectuis alijs artibus adepta est proportione con- sen- taneam. nam & partium similarium substantiam nouit, & instrumentalium generationis modum, præterea & affectuum inuentionem similiter, & pro quoq; eorum scopos confecit curationis.

GALENI